

26

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
**INNOCENTIA
SUSPECTA,**

QUAM

Divina Adspirante Gratia

NEC NON

Approbante Ampliss. Facult. Phil.

PRÆSIDE

**M^{AG.} JOHANNE
BILMARK,**

HIST. ET PHIL. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORD.

Publice ventilandam sifit

JOH. GABRIEL BOMBERG,
Tavastensis.

In AUDITORIO MAJORI Die XXVII Aprilis
Anni MDCCLXXIII.

H. A. M. C.

A B O Æ,

'Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.

§. I.

Quamvis corrupta admodum sit hominum natura, multique inveniantur adeo pravi, ut omnes ferme occasiones arripiant, quibus mala & damna quævis aliis, etiam preter horum meritum, inferre possint; attamen sollicite simul illi cavere solent, ne prodantur & malefactorum suorum habeantur auctores. Probe enim sciunt facinorosi, quod si vel in flagranti delicto vel alijs detegantur, non tantum existimatio eorum civilis, quæ haud mediocre est vitæ tranquillæ praesidium, & qua pridem inter cives suos gavisi sunt, sensim imminuat, sed etiam promeritas sustinebunt poenas. Studiose igitur id agunt maleferiati, ut flagitia eorum specioso quodam fuso incrustentur, atque in foro Civili innocentes habeantur. Docet etiam experientia, quod hi Proteo versutiores esse soleant, adeo ut larva ipsis haud facile detrahatur. Qua autem sua opinione & spe si se deceptos animadvertant, nullum ipsis perfumeum aliud est relictum, nisi ut frontem perfricent, factum negent & quo demum cunque modo diluant. Primam igitur, quæ in proverbium etiam abiit, juris regulam: *Si fecisti, nega*, usque adeo sibi commendatam habent, ut qualescumque accedant probationes, attamen sua saltē dissensione ac pertinaci facti denegatione innocentiam probare annitantur, vel culpam omnem a se removentes, vel factum ita extenuantes, ut aliis persuadeant, se vel ex simplicitate & ignorantia vel saltē ex proposito non malo deliquerile. Quicquid autem tales in sui defensionem moliantur, impedire tamen sāpe non possunt, quin circumstantiarum indicia contrarium evincere videantur, id quod fit, vel si exceptiones fuerint minus

minus idoneæ, vel si circumstantiæ in facto proposito sibi contrariari videantur. *Innocentia* igitur est *suspœcta*, quando quis culpam non penitus omnem a se remove-re valet, quin alii subinde cogitent, accusatum in se defendendo magis ingeniosum, quam in vita probum fuisse.

§. II.

Sicut innocentia vitæ consistit in convenientia actionum nostrarum cum præscripto legum; ita inter alia in civitate commodum accidit, ut unusquisque habeatur probus atque innocens, donec ipse actionibus a lege discrepantibus manifesto ostenderit, se indignum esse opinione, quam de virtutibus ejus hactenus foverunt cives. Unde familiaris est canon, quod quisque tamdiu probus habeatur, donec probetur contrarium. Immo quum nemo mortalium derepente factus sit malus, sed talis sensim adsuefiat vitiis patrandis, igitur in imputatione actionis dubiæ præcipue haberi solet ratio vitæ transactæ ejus, qui in judicium vocatur. Recte enim olim Asinius Pollio: *Qua major pars vitæ & ingenii stetit, ea judicandum de homine est.* Et Cicero in Sull: *omnibus in rebus judices, quæ majores gravioresque sunt, quid quis voluerit, cogitaverit, admiserit, non ex crimine sed ex moribus ejus, qui arguitur, est judicandum.* Immo eo usque ista valent, ut præsumtio non raro fiat a parentibus, ex educatione, quam quis etiam puer accepit, ex munere, quod gerit, aliisque similibus circumstantiis, in quibus si nihil vitiæ deprehendatur, magnum & validum argumentum ad innocentiam defendendam & objectas forte calumnias elidendas existit.

§. III.

Redditur autem innocentia suspecta primo per famam malefacti cuiusdam, quæ non in tonstrina, stabulo aut loquacium muliercularum circulis nascitur, quippe quæ

rumor potius est dicenda, sed per talem, quam non
 prorsus improbant viri cordati, licet de cetero igno-
 rent originem ejusmodi narrationis. Accedit enim non
 nunquam, teste experientia, ut quantumvis quis occul-
 tet facinus a se commissum, publica tamen fama, incer-
 tum unde primum nata, hunc vel illum, ceu auctorem
 facti, designet. In his casibus non decet Judicem de-
 cussatis sedere manibus, sed si delictum praesertim gra-
 vius fuerit, quantum circumstantiae permiserint, malefi-
 cum detegere studebit. Unde Codex Fridericianus in
 R. Bl. Cap. IV. §. 1. Nu kommer allmånt ryckte up om
 groft brott, och finnes thår förlig misstänka til; bode oef Hä-
 rads. Höfding särskilt ting, åmå at ingen therå kärer. Scili-
 cet eventus sæpe docuit, quod præsumtio ex fama ex-
 surgens, non semper fuerit vana, quare vulgo dici so-
 let, quod vox populi sit vox DEI. Sed in talibus casibus ma-
 xima cum circumspectione tese geret Judex, ne, dum
 noxiū detegere studet, innocentem opprimat. Ipsa
 autem fama non pertinet ad probationes juris, sed ad
 indicia, quæ manuducunt Judicem in auctoribus facino-
 rum detegendis. Ut vero hoc indicium, saltem aliquo mo-
 do sibi constet, probari debet ab idoneis testibus, qui
 adserunt, se audivisse a gravibus, qui forte longe abie-
 runt, vel qui vita jam defuncti, quod Cajus exempli
 gratia percusserit Titium. Si porro huic qualificatæ fa-
 mæ accesserit personæ suspectæ minus proba vita, inno-
 centia ejus ex pluribus rationibus suspecta redditur. Id
 quod eo usque valet, ut fama publica, verosimilitudine
 nixa, probationis semiplenæ vicem sustinere queat. Hinc
 in Tituli cit. C. XVII. §. 30: Eher uppenbart egh på saiz
 nesska förlig grindat ryckte eller andra bindande omständighes-
 ter dgo enot ther, som tiltalas, må oef Domaren wärmeläls
 Ed åläggga.

c. IV.

Quamvis locus per se nihil omnino ad rhombum faciat, saepe tamen periclitatur innocentia & suspecta redditur, ubi quis in famoso deprehensus fuerit loco; attamen si idem advena fuerit, nec notitiam personarum aliqualem sibi adhuc comparare potuerit, facilem imperat excusationem, præsertim si meliora edoctus ab ista domo abstineat. At si quis ignorantiam loci istius non facile prætendere potest, in suspicionem adducitur, quod non fortuito quodam casu, sed deliberato animo in istum fese contulerit locum. Si igitur malefactum quodam ibi patratum fuerit, Judex inquirere tenetur, quo animo in istum pervenerit locum, an quidquam vel viderit vel audiverit; & si defensio rei sit sublestæ fidei, vel si ipsa magis ingeniosa sit quam aperta & simplex, opinionem malefacti patrati ægre a se removebit. Juvat quoque interdum lustrare vestigia calceorum, quæ vel in recenti nive vel in terra humida, vel in pulvere ejus loci, ubi delictum est patratum, comparent, tum etiam dispicere, an reus aliquid in isto loco ad se pertinens præter opinionem reliquerit, quæ omnia suspicionem tanto graviorem reddunt.

§. V.

Sicut maleferiati facta sua occultare magnopere student; ita quoque in illis perpetrandis tempus subtenebriscom plerumque eligunt, ut dignosci nequeant, si quis forte moleste sedulus supervenerit. Attamen quum experientia doceat, quod ad homines utcumque dignoscendos necessarium non semper sit, ipsam intueri faciem, multi enim a statura & conformatione corporis, ab incessu, ab habitu, aliisve motibus, huic vel illi personæ propriis, internoscantur, igitur ex indiciis modo memoratis probabilis saepe sumitur præsumtio contra innocentiam alicujus personæ. Videlicet si quidam

in loco perpetrati criminis, tempore, quo patratum est, autante vel post in accessu vel recessu visus a quopiam fuerit, sed non sufficienter cognitus. Unde ex hoc queri oportet, an dignosci possit nocens ex alicujus corporis statura, habitu, vestibus, aliisque. Magis adhuc augetur præsumtio, si suspectus eodem tempore a consveto abfuerit loco, præsertim si nulla in promptu sit ratio, quod alia magis necessaria negotia ipsum tunc alio vocaverint.

§. VI.

Sicut plantæ quædam si in solum peregrinum transferantur vel minus idoneæ humo inferantur, naturalem suam venustatem & gratiosissimum etiam saporem sensim amittunt, atque luridæ immo noxiæ evadunt; ita quoque homines non mali, tales nonnunquam fiunt consuetudine eorum, qui pravi sunt. Adfert enim seorsim quisque suas culpas, quas mixti vulgant & velut contagie trahunt invicem. Major quotidie enascitur peccandi cupiditas ac minor reverentia legum. Igitur ut flumina, quæ dulces vebunt undas, dum in mare venerint, falsuginem contrahunt; ita homines, alioquin natura ingenui, per malorum consortia vitiolos contrahere solent habitus. Nam adeo perversa est humanae indolis inclinatio, ut vitia potius, quam virtutes imitetur. Quam obrem frequens ac familiaris cum facinoris conversatio multum facit, ut pristina innocentia reddatur suspecta. Hujus autem præsumptionis ratio constat ex vulgata parœmia: Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se. Ex tenore legis Patriæ valet in primis suspicio ex prava consuetudine, ubi de eo disquiritur, quod per furtum fuit ablatum; quare inquirendi potestas judici injungitur: Om någon warit i sällskap med andra, som tiuñ naden med själ tishvitas kan M. Bl. Cap. LII. §. 2. Nec dubitamus, quin hoc ipsum aliis similibus casibus haud inepte applicari possit.

§. VII.

§. VII.

Præterea in dubium non immerito vocatur ejus innocentia, de quo constat, quod cum persona læsa inimicitias aliquamdiu gesserit. Nemo enim facile nocet nisi ei, quem suum esse inimicum & mala quævis in se machinari vel novit, vel saltem opinatur. Quamobrem si auctor facinoris non compareat, haud absolum est, cogitare, quod malefactum sit inimicitiae quidam fructus. Etenim dum quis vel invidiæ vel ultiæ stimulis sese agitari permittit, odium plerumque non prius deponit, quam alterum malo quodam adfecerit. Quod si præterea suspectus læso minitatus fuerit, se damnum ei illaturum, tanto magis gravatur ipsius innocentia; præsertim si eo dementiae processerit, ut ipse iracundus prædicat, qua speciatim ratione, vindictam aliquando exercere constituat. Quocirca tamen judex advertere debet, ex qua causa extiterit inimicitia; an eadem orta fuerit super magna quadam facultatum substantia, vel ex spe insignis cuiusdam hereditatis, dignitatis aut munieris, vel quod alter alteri aliquid præripuerit, in quod utrique æquale jus competebat. Enimvero non sufficit probasse, aliquem fuisse minatum, siquidem multi reperiantur homines, Thrasonico spiritu turgidi, nec admodum mali, quibus in usu venit, impotenter evomere multa minarum fulmina, ut solius lingvæ suæ telo omnem ulciscantur injuriam; de cætero autem nec eo prædicti animo, nec eis instructi viribus, ut a verbis ad verbera progredi audeant: adeoque Judex probe sibi perspectam reddet indolem personæ minitantis. Modo memoratis longe pejores sunt, qui calide animi tensa tegunt, & interea tamen omnes captant occasiones, quibus alterum, a quo te offensos credunt, vel ledant vel opprimant tanto facilius, quo minus hic sibi metuit.

§. VIII.

§. VIII.

Quamvis nonnulli dentur mortaliū, qui adeo le-
vis sunt animi, ne quid gravius illis imputem, ut ne
quidem religiosissimo jurisjurandi actu ad veritatem di-
cendam permaoyeri possint, quin potius scientes ac vo-
lentes nonnunquam pejerent; oppido tamen pauci adeo
perfrictæ sunt frontis, ut in vitæ exitu constituti verita-
tem reticeant & dicam aliis præter meritum scribant.
Quare etiam læsi inculpatio atque confessio, quæ fit in
ultimo vitæ articulo haberí solet pro gravi indicio, quo
innocentia rei redditur suspecta: nemo enim facile præ-
sumi potest, velle in ista crisi, dum coram omniscio tri-
bunali Divino sistetur, animam suam novis gravare fa-
cinoribus. Ex solo tamen hoc indicio sufficiens proba-
tio in condemnationem rei non nascitur, siquidem heic
in propria caussa testimonium perhibeat, quod in al-
terius damnum plenam non meretur fides. In his au-
tem casibus probe perpendat Judex, an moribundus
vel tranquillo sit animo vel ob metum mortis quasi e-
mota mente: an dum confessionem suam facit, reipsa
de morte & de futura animæ suæ conditione serio co-
gitet, & in pignus veritatis asserti sui semetipsum qua-
si devoveat.

§. IX.

Adeo cari esse solent sui cujusque penates, ut hos
nemo facile deserat, nisi qui pessima quævis sibi omina-
tur, si domi remanserit. Quare quum singuli cives se-
curitate in sua fruantur patria, donec eadem seipso in-
dignos reddiderint, qui fuga salutem querunt, in su-
spicionem haud levem adducuntur, quod metu pœnæ
promeritæ, sese manentis, ad peregrinas sese contulerint
oras: Id quod in Codice Fridericiano M. B. C. LII. §.
2. sic exprimitur: Eller at han håller sig undan och synes
taga sak å bæk. Heic autem quædam rursus momenta

notanda veniunt. Igitur constare debet, 1:o delictum aliquod & quidem gravius fuisse commissum. 2:o Personam quandam circa idem tempus abiisse, ita tamen ut causam nemo facile subodorari queat, cur cognatos, domum vel munus reliquerit. 3:o Quod vita fugientis non admodum probata fuerit. His evictis, fuga fugientem accusat & in suspicionem sceleris adducit: proprium enim esse solet reorum, quorum conscientia facit ut levibus etiam terreantur ab euris, fugiendo sibi consulere. Enimvero ipsa fuga per se non est sufficiens probatio ad aliquem condemnandum; sed tantummodo indicium, quo fugientis sollicitatur innocentia. Immo si quis carceri ob delictum, de quo tamen nondum est convictus, fuerit inclusus & fugam capessiverit, non tamen hoc ipsis culpam objecti facinoris in se suscipit. Hinc enim carceris squalor atque molestia, illinc imminens forte vexatio, cui sustinendae se imparem putat, faciunt ut quis in peregrinis locis ad meliora sese reservare velit tempora, dum detur occasio, innocentiam suam melius domi probandi. Quid? Quod dentur exempla eorum, qui quum veri sint patrati facinoris autores, ut tamen suspicionem malefacti a se removeant, aliis persuadeant, ut dum recens adhuc est inquisitio, sese vel occultent, vel praeter rem ac necessitatem fugam capessant. Interdum etiam contingere potest, ut duo eodem circiter tempore peragre proficiscantur, alter ut imminentem declinet poenam, alter autem ut necessaria negotia in remotis curet locis: quibus in casibus dispiciat Judex, quid aequum & justum esse ejus videat prudentia.

§. X.

Suspectum quoque nonnunquam reddit hominem ipsa faciei constitutio, quippe in illa, ob arctissimum, quod inter animam & corpus intercedit vinculum, velut in tabella quadam, quasi legere possumus, quid in re-

cessu mentis fiat, an haec narrationi, quam adfert reus, consentiat, vel non. Tralatitium igitur est, quod aspera & horrida facies, quæ peculiari gaudet lineamentorum conformatione, hominem minime bonum prodat. Cui si accedat minus apta partium corporis constitutio, multi omnianuntur, animam, in difformi adeo corpore habitantem, non optimæ esse indolis. Enimvero nisi alia accedant momenta ad convellendam alicujus innocentiam, hoc indicium per se est valde ambiguum, quum experientia doceat, quod non raro contingat, ut natura, quæ exernam corporis speciem subinde reddidit malignam, tanto excelsiore ac nobiliorem animam hospitam huic quasi ergastulo incluserit. Fallunt igitur & falluntur non minus hi conjectores, quam qui ex continenti de contenti præstantia judicare velint; in testa enim contemta saepe latet Falernum, quum ex adverso in dolio concinno nonnisi vappam invenies.

§. XI.

Quoniam delictum quodlibet, individualiter spectatum, quoad omnes circumstantias est determinatum; igitur si reus in sua narratione sibi non semper constet, sed sermo ejus inconstans atque variabilis fuerit, præsumitur, ipsum pro re nata excogitatis argumentis suo sceleri colorum querere; qua quidem ratione innocentia ejus redditur suspecta. Nihil omnino heic ex nostro judicio ad rhombum facit, sive reus sententiam suam mutet circa ipsum negotium, in quo cardo questionis volvitur, sive circa principalem quandam circumstantiam; siquidem illud & haec plerumque arcto adeo cohærent nexu, ut unum ex altero sponte sua sequatur. Exemplum hujusmodi contrarietatis sat memorabile habemus in duobus illis Judicibus, qui Sufficiam commissi adulterii accusabant, sed de loco in, quo ipsam deprehenderant, non conveniebant. Allato quidem indicio, quo sollicitatur innocentia, aliud nonnulli addunt, vide licet

licet si reus non sine trepidatione ac titubatione causam suam agat coram tribunali. Enimvero licet ista titubatio in nonnullis casibus prodere videatur, quod reus se ipsum conscientum turpitudinis malefacti objecti arguat; isthoc tamen indicium per se est admodum lubricum; saepe enim accidit, ut quis sit ea animi & corporis constitutione, ut extimescat coram judice & senatu sese praesentem sistere; novit difficiles & nodolas quaestiones sibi fore proponendas; non diffidit suae innocentiae, sed suo diffidit ingenio in illis resolvendis, quamobrem tristitia & metu percellitur; ut alia reticeant momenta, quae titubantem faciunt eum, qui reaps est innocens.

§. XII.

Inter probationes, quarum in foro civili frequens est usus, merito refertur illa, quae fit per testes. Si enim reus, quod plerumque fieri solet, factum a se perpetratum sponte non fateatur, in illustrationem ac probationem facti adhibentur alii, qui si praesentes fuerint & ipsi viderint actum, de quo disquiritur, atque nihil a reo contra habilitatem horum testium jure adferri queat, testimonium eorum, si sibi consentientes fuerint, instar probationis habetur. At si unius tantummodo testis & oculatus & juratus de facto depo- fuerit, semiplena solum hinc emergit probatio, qua quidem ad reum condemnandum non valet, attamen hujus innocentiam admodum suspectam reddit. Hinc codex legum Fridericianus N. B. C. XVII. §. 29. Et witne omni sielsewa mälet, gjälde ej mer, än för halft bewis och så bör then som kåres tit, med ed sig wärja. Åt han ej af then frågd, at thet honom tillåtas kan, så må han ej til saken fallas. Heic autem respicienda est qualitas testis ac testimonii dicendi, ut ille videlicet sit testis, o nni exceptioni major, ac deponat de actu immediato seu facinore ipso, suaque adseritionis rationem reddit per sensum corporeum rei convenientem, quod nempe ipse delictum viderit ab inculpato perpetrari, quod praesens ei in-

erfuerit, & ut hæc omnia adserat verbis minime ambiguis, sed simplicibus ac dilucidis.

§. XIII.

Quod confessioni reorum sive spontaneæ sive legitimis elicite questionibus multum sit tribuendum, nemo facile ambigere potest. Quia enim homines etiam per nature instinctum ita sint comparati, ut nemo sihi ipse exitium truere velit, sed suam quisque vitam, existimationem a fortunas pro virili tueri atque has etiam amplificare quam maxime studeat; nemo quoque adeo presumitur amens & a seipso dissentiens ut in se quidquam confessurus censeatur, ex quo vite, fama, ac opibus suis periculum aliquod immineat, nisi ipsi vocem hanc ingeniam incredibilis illa veritatis vis velut invito extorserit. Igitur quemadmodum olim CICERONIS admodum triumphat oratio, quum sibi accusatori negotium esset cum reo, qui scelerum suorum nullam sibi neque insidiandi rationem, neque defendendi reliquisset, sed omnibus in rebus coargueretur ab accusatore, convinceretur a testib s, urgeretur confessione sua, & manifestis in maleficiis teneretur (*a*); ita & hodiernum sibi plurimum gratulantur tum actores atque accusatores, tum ipsi Judices, si adversarium reumy nauci sint, sua se confessione ultro jugulantem. Adeoque propria facinoris confessio innocentiam valde reddit suspectam. Enimvero sicut leve admundum est ingenium humanum; ita etiam docet experientia, quod homines subinde falso seipso accusaverint. Nam confessiones reorum in causis pecuniariis sepe ex errore aut socordia, in criminalibus, sapissime ex atrabilie, vita tædio, impatientia carceris & cruciatuum, aliisque hujusmodi causis profectæ, aliquando tam mendaces, tam lubricæ, quin & nonnunquam tam incredibiles ac propemodum ridiculæ sunt, ut acta evolvens, non erimus historiam, sed fabulas quasdam Milesias legere sibi videatur. Heic igitur ad Religionem Judicis omnino pertinet, dare operam, ne quis turpissimo prævaricationis genere sua innocentia possit temere insidiari. Sicut enim interest reipublicæ, ne delicta impune admittantur; ita ejusdem multo magis resert, ne innocentes suppicio adficiantur, aut exempla siant in eos, qui nullo alio crimine animadversionem merentur, quam calumnia adversus se ipsos admissa. Prudenter igitur Codex Fridericianus N. V. Cap. XVII. §. 36. Ej bdr någon i brott, som å lîf gå, fällas på egen bekännelse, utan the omständigheter finns ej, som bekännelsen styrka.

(*a*) In Verrem Libr. IV. Cap. LXIV.

Plures quidem aihuc sunt modi generales, quibus innocentia redditur suspecta, sed eosdem explicandos aliis relinquere nos jubet imperiosa necessitas; quam ob rem his meditationibus nostris jamimponimus

